



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

Svmmarivm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

- oleum sanctum infirmorum, sanctum
 chrisma, thymiana, thus, myrrha, & thu-
 ribulum cum igne, adhibitis quampluri-
 mis exorcismis, & solemnitatibus de qui-
 bus in dict. Pont. Roman. fol. 515. cum
 pluribus seqq.
- 47 † Degradatio fit etiam potestate ordi-
 nis Episcopalis, & Episcopus, non autem
 inferior potest ab ordinibus degradare,
- capit. degradatio, de pœnit. in 6. & Con-
 cil. Tridentin. cap. 4. de reformat. sess. 13.
 nec hanc potestatem potest Episcopus
 inferioribus demandare, † quia licet Epi-
 scopus committere valeat, quæ jurisdic-
 tionis existunt, quæ ord' s Episcopalis
 sunt, non potest inferiori gradus clericis
 demandare, capit. aqua de consecrat. ec-
 cles. vel Altar.

DE CONSECRATIONE ECCLESIAE, vel Altaris. Cap. V.

S V M M A R I V M.

- | | |
|---|--|
| 1 Consecratio Ecclesiarum pluribus ex cau-
sis fuit instituta. | 11 Consecratio Altaris in quibus consistat, &
quibus ex causis consecratur. |
| 2 Consecratas Ecclesias frequentare, & in
illis orare debemus, ut orationes sint
magis grata. | 12 Altare, nisi ab Episcopo, aut Episcopi man-
dato execrari, vel destrui non debet. |
| 3 Consecratio Ecclesiarum tam ex veteris
quam ex novi testamenti preceptis fieri
debet. | 13 Paramenta, & vasa sacra vetustate con-
sumpta, non sunt ad usus prophanos
vertenda. |
| 4 Consecrantur Ecclesia ab Episcopis pluri-
bus de causis, & sine Episcoporum li-
centia edificari non possunt. | 14 Calicem non, nisi de auro, vel argento,
licet consecrare. |
| 5 Consecrans Ecclesiam indotatam de suo
proprio in defectum fundatoris dotare
tenetur. | 15 Virgines per Episcopum, & non per infe-
riorem possunt consecrari. |
| 6 Ecclesia pluribus casibus reconciliantur. | 16 Procuratio, an debeatur pro consecratio-
ne. |
| 7 Ecclesia polluta, etiam cœmeterium con-
tiguum est pollutum, & non e contra. | 17 Procuratio praestatur in signum superio-
ritatis. |
| 8 Ecclesia reconciliatio quomodo fiat. | 18 Episcopus cujus expensis debeat Ecclesiam
pollutam reconciliare. |
| 9 Consecratio, & reconciliatio non, nisi ab
Episcopis fieri potest. | 19 Ecclesia regularis polluta cujus sumptibus
sit reconcilianda. |
| 10 Reconciliatio Ecclesia non consecrata, &
cœmeterij quomodo fieri debeat. | 20 Commodum sentire debet, qui sentit in-
commodum. |

21 Iohannes Stephanus Agathia Episcopus A-
stenfis laudatur.

22 Ordo Mendicantium pluribus privi-
legijs gaudet.

ECCLESiarUM, & Altarium con-
cratio Episcopis competit ordinis
potestate, ut *supra c. proximo, in prin.*
& consecratio est simul sacratio, *cap.*
pudenda, 24. quæst. 1. & glos. in cap. Episcopus,
23. dist. pluribusque ex causis fuit institu-
tum, quod ecclesiæ consecrentur.

† Quarum prima, ut diabolus, & pote-
stas ejus penitus expellatur. Cum enim
quædam ecclesia Arrianorum fidelibus
reddita consecraretur, & reliquæ sancti
Sebastiani, & beatæ Agathæ illuc delatæ
fuisent, *cap. Arrianorum, de consecr. dist. 1.*
populus ibidem congregatus porcum re-
pente inter pedes huc, illucque discurren-
tem fenserunt, qui fores ecclesiæ repetens,
in exitu à nullo videri potuit, omnesque in
admirationem commovit, quod idcirco
Dominus ostendit, ut cunctis patefaceret,
quod de loco eodem immundus habitator
exiret, ut refert Gregor. *in dialog. lib. 3.*
relatus à Graff. *decis. aur. par. 2. lib. 2. c. 15.*
num. mibi, nu. 5.

Secunda, ut in eis decentius laudes Deo
solvantur, & preces effundantur, quia Iu-
dæi loca, in quibus sacrificabant Domino,
divinis habebant supplicationibus conse-
crata, nec in alijs, quam dedicatis locis Deo
munera offerebant; si enim Judæi, qui um-
bræ legis deserviebant, hoc faciebant, mul-
tò magis nos quibus veritas patefacta, &
gratia per Iesum Christum, data est, † tem-
pla Domino ædificare, & prout melius
possumus, ornare, eaque divinis precibus,
sanctis unktionibus suis cum altaribus, &
vasis, vestibus quoque & reliquijs ad di-
vinum cultum explendum utensilibus, de-

votè, & solemniter sacrare, & non in alijs,
quàm in Domino sacratis ab Episcopis
missas celebrare, frequentare, & in illis do-
tare debemus, *cap. 2. §. qualiter ergo, de*
consecr. dist. 1.

Ecclesia est decentior locus orandi, jux-
ta illud psalm. Unam petij à Domino hanc
requiram, ut inhabitem in domo Domini
omnibus diebus vitæ meæ: ibi enim ani-
mus ad devotionem magis excitatur pro-
pter solitudinem, & quietem, nec medio-
criter adversatur exteriorum tumultus ad
pacem mentis, & animi, & ad obtinendam
tranquillitatem, quæ oranti animo neces-
saria est, ubique tamen orare licet, Paulus
ad Timot. *c. 2. qui ait, Volo, vos orare in*
omni loco, & Graff. decis. aur. par. 1. lib. 2.
cap. 53. num. 2.

Tertia, ut ibidem dignè missæ celebren-
tur, & alia ecclesiastica sacramenta mini-
strentur, *d. c. 2. post med. de consecr. dist. 1.*
cap. hic ergo, & cap. nullus, ead. dist.

Quarta, ut orationes sint magis gratæ,
quia piè est credendum, quod ex hoc, cæ-
teris paribus, divina virtus ibi assistat ad
gratiam libentius infundendam, cum pro-
pterea in missa dedicationis, quæ singulis
annis celebrantur, proferatur oratio, Deus,
qui, & cæc. exaudi preces populi tui, &
præsta, ut, quisquis hoc templum beneficia
petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse
lætetur, & simili oratione Deum preca-
mur in ipso die dedicationis ecclesiæ.

Consecratio enim † ecclesiarum fieri
debet tam ex veteris, quam ex novi testa-
menti præceptis, quia Dominus locu-
tus est ad Moysen, dicens, &c. ut faciant
cuncta,